

Exercitationum Ethicarum

Quinta

De

FORTITVDINE ET
TEMPERANTIA

Quam

*Deo favente Fortissimo & Tempe-
ratissimo*

In Illustri, Illustriss. Electoris Bran-
denburgici Academia

PRÆSIDE

M. THEOPHILO EBERTO

Francof. March.

tuebitur,

JOANNES ROTH,

Lipsiâ - Misnicus.

Die 13. Augusti.

ANNI M. DC. XII.

Horis locoque destinatis

Typis Friderici Hartmanni

Bibliopola.

Coll. diss. A
28, 47

d. XXVIII. 47.

Eminentissimæ
Celeberrimi Gorlicensis Gymnasii Columnæ
Excellentissimis, Clarissimis, Doctissimis, Humanissimis VIRIS
Dn. CASPARO DORNAVIO, P. & M. D. Rectori
ejusdem Gymnasii laudatissimo.
Dn. M. ELIAE CVCHLERO, P. Cæs. & N. P.
Conrectori ibidem dignissimo.
Dn. M. JANO FALCKENHAIN, P. L.
Dn. M. JOANNI LUDOVICO,
Collegis ibidem fidelissimis,
Dominis meis præceptoribus meritissimis, & fautoribus certissimis,
debito animi & amoris cultu fovendis. P. P. S.

REgia (qua Phrygia connititur alta columna,
Phidiacâ cujus sunt iuga structa manu)
Laudibus in longum à multis dimittitur ævum;
Solaq; cantari carmine digna venit.
At mihi, quam vestrâ duxistis in æde Columnam,
Nisiades Musa, gratior illa subit.
Gratior illa subit: cujus, sanctissima Phœbi
Proles Dornavi, diceris esse Caput:
Cujus nempe Scapum, Corpus tam nobile, suffers
Cuchlere, ò vatam non mediocre decus.
At quo, Falkenhain, dignatus surgis honore!
Quem Muse gaudent constituisse Basin
Nec, Ludoice, illis Stylobattæ cedis adinstar
Extremo pergens subdere fulcra pede.
Ergo huic affigam præsens Gymnasma Columnæ:
Pendeat ut gratum tempora longa, precor.
Vnde Viri, convexa polus dum sidera pascet,
Vestra superstes erit vita, vigebit honos.

V. V. Em. Cl.

Devotifs. subiectifs.

Johannes Roht Lipsia-
Misnicus.



Exercitationum Ethicarum

Quinta.

Respondente

JOANNE ROHT Lipsiâ-Misnico

Ἀλληλεχίς.

Quemadmodum pictores prius solent delineare & ad-
umbrare præcipuas partes alicujus picturæ & imagi-
nis : postea verò singulas illas partes diligentius & ac-
curatius suis coloribus illustrare, *Mag. lib. 2. Eth. c.*
7. p. 164. ita & Aristoteles generatim de virtutibus di-
sputans ad illarum species accedit : inanior enim est rerum agen-
darum explicatio universa, singularis contra verior *Arist. libr. 2.*
Ethic. cap. 7. unde Stoici contra facientes gravissimè olim repre-
hendebantur : multa quidem in genere disputantes de moribus &
virtutibus : sed cum ad vitam & mores eorum disputationes ac-
commodandæ essent, plæræque reperiebantur absurdæ *Giphan. d.*
l. pag. 128. Cum autem sciamus, hoc inter Theoreticas & pra-
cticas disciplinas interesse, quod illic rationes universales, non ex
particularibus : sed ex universalibus fidem sibi faciant : hic vero
generales notiones ex observatione singularium colligantur. *Clari-*
riss. noster Ethicus M. Christoph. Neander hic. Non enim suffi-
cit, si virtutem esse mediocritatem universaliter dixerimus : sed
etiam ut in specie illud se ita habere, ostendamus. *Eustrat. l. d. p.*
83. col. 2. n. 10. Martyr, d. l. p. 288. siquidem autem mediocritas
illa est circa affectus, qui vel ad corpus, vel ad animum pertinent,
de virtutibus ad corpus pertinentibus, de Fortitudine scilicet &
Temperantia hic agemus.

Thesis I.

Sollicitè interpretes disputant cur Arist. virtutum doctri- *Lib. 3. eth.*
nam ordiatur à fortitudine & non ab alia virtute *Keckerm. syst. cap. 6.*
Eth. pag. 221. sed non necessarium esse ordinem ostendit *Piccol.*
grad. 2. civ. phil. cap. 29. Nos autem ut vestigiis Aristotelis
insistamus à fortitudine etiam initium sumemus. I. quia illam
summam

summam virtutem prisca putarunt *Scal. exerc. 300. f. 3.* ut etiam in quibus major videretur eos & Heroes vocarent & Semideos venerentur: Hinc Hercules cœlum meruit, & quæcunq; in orbe terrarum præclara essent: atq; admirabilia ad ipsum à posteris relata sunt, *Iovian. Pontan. lib. 1. de fort. pag. 147.* 2. quia virtus maximè digna sexu virili, quem evidentius discernimus à sexu fœmineo, præsertim cum etiam pendeat à temperamento callidiori, & à corde spirituosiori, quod rarum est in sexu fœmineo, nisi is degeneret ad virilem, *Keckerm. d. 4.* unde etiam græcis ἀνδρεία dicitur ἀνδρῶν τῆς ἀνδρείας, vel quasi ἀναρπών sine fluxu cò quod vir fortis animo sit infracto *Donalx. pag. 161.* 3. quia ordo virtutum ab Aristotele observatus naturæ hominum est accommodatissimus: nam in pueris statim elucent fortitudinis vestigia, majorem autem ætatem requirunt virtutes cæteræ *Giph. pag. 209.*

II. Fortitudinem igitur pro virtute ea sumptam, per quam res magnæ geruntur in susceptione periculorum *Aristot. libr. 1. Rhet. cap. 4.* ut definiamus, sciendum illam esse qualitatem abstractam, quæ sub sensum non cadit, quemadmodum reliquæ virtutes: ideo non à priori: sed ut scientiæ & artes à posteriori tantum describitur, nimirum ex objectis circa quæ versatur, *Mag. p. 257.* quibus ad actus & ab his ad potentias, & à potentiis ad essentias progredimur: & sic à notioribus ad ea quæ minus nobis nota sunt procedimus *Acciaj. p. 236.*

III. Est autem ejus genus non scientia ut *Senecæ lib. 2. de benef. c. 34. & Cic. 4. Tuscul.* quia non habitus est intellectus nec scire tantum quæ honesta sunt: sed agere & exercere oportet, quod de omnibus virtutibus postulat *Aristot. lib. 2. Eth. c. 4.* Nec affectio ut *Macrobio & Cornelio Valerio in Eth. c. 29. p. 59.* cum illa si non moderetur magis ad vitia declinet, quam ad virtutes, moderata autem, nomine virtutis dignatur & loco generis ponitur.

IV. Est itaq; Fortitudo virtus, quæ mediocritatem servat circa metum & fiduciam, in adeundis & perferendis aut etiam declinandis periculis, & laboribus, ipsaq; morte honestatis & utilitatis publicæ gratia.

Defi-

V. Definitionem hanc causalem esse ex illius resolutione patebit. VIRTUS enim denotat causam efficientem: quia est habitus crebris actionibus acquisitus, quas causam perficientem facit. *Arist. ut ex 3. nostra disp. θ. 5.* perspicuum erit. MEDIOCRITAS formalem declarat. Sed materialis quæ hic objectum est, offert se: 1. vel *Generale* & hoc vel principale quod denotatur per METUM & rectè eò quod in illo præsertim animi vis & robur cernatur: siquidem imprimis animos hominum perturbat *Donalx. lib. 3. ep. Eth. c. 1. p. 162.* 2. quia virtutes omnes in rebus difficillimis cernuntur.

VI. Cum autem metuamus ea, quæ sunt mala (metum enim expectationem mali definiunt *Cic. 4. Tusculan. & Eustrat. libr. 3. Eth. c. 6. p. 114. col. 2. n. 30.* unde *Plato in Protagora* illum definit φόβον & *in Lachete* δέον) considerandum illorum esse duo genera: 1. alia ab omnibus sunt metuenda, ut infamia, scelera, infames libelli, &c. unde qui hæc non metuit impudens potius, quam fortis dicitur. *Io-vian. Pontan. lib. 1. de Fortitud. c. 5. p. 174.* Hinc bene *Xenophanes* cuidam objicienti timiditatem, quod tesseris ludere nollet, fateor, inquit, me esse timidum, sed adversus inhonestam. *Plut. de vitios. verecund. 2.* alia citra reprehensionem metui aut non metui possunt, ut invidia, inimicitia, paupertas, orbitas, exilium, morbus, & similia. *Keckerm. in syst. Eth. p. 223.* & hæc 1. si nostra culpa fiant, sunt metuenda, quia conjuncta sunt cum ignominia, ut si quis propter luxuriam redigatur in paupertatem, propter scortationem contrahat morbum Gallicum *Mag. p. 259.* 2. si præter nostram culpam non sunt metuenda, quia frustra ab iis cavemus quæ vitari nequeunt, *Giph p. 211.* ut si vir fortis præter culpam cum *Anaxagora* carcere includatur morti que adducatur. *Diog. Laert. lib. 2. in vit. Anaxag. p. 49. B.*

VII. Sunt porro Mala, alia excedentia facultatem humanam quæ cuiquam homini sapienti, qui habet rectum iudicium intellectus, formidabilia sunt, & talia sunt terræmotus, inundationes maris & alia *Thomas lib. 3. Eth. lect. 15. p. 48. col. 3. E.* Alia ipsi correspondentia, & hæc magnitudine differunt, quatenus scilicet sunt vel majora, vel minora, ut si magnus exercitus hostium, optimeque

ptimeque instructus invadat, majorem terrorem inferet, quam si parvus parumque instructus, *Eustratius p. 115. col. 2. n. 10.* & hæc ab hominibus sustineri possunt, *Donat. d. l. p. 163.*

VIII. Vel *Minus principale* quod indicatur per *FIDUCIAM*, quæ oritur ex laboribus & molestiis, vir fortis enim propter fiduciam assequendæ beatitudinis eas non curat: sed ipsius finis gratia vulnera perferens delectatur, *Iodocus Clichtovejus super lib. Arist. Eth. c. 3. quest. 12. p. 12.*

IX. Vel II. *Speciale* quod per *MORTEM* denotatur: 1. non *naturalem*, quando homo vel morbo vel senio extinguitur 2. non *Fortuitam*, cum aliquis naufragio, incendio, aut alio casu moriatur. 3. *Nec Violentam* ut cum aliquis sibi ipsi inferat manus aut à tyranno aut carnifice, aut latronibus, occidatur, *Mag. p. 262.* Sed 4. *Bellicam* 1. quia pulcherrima, cum plerumque oppetatur pro rebus pulcherrimis, nempe pro patriæ, liberorum, legum, amicorum, & religionis defensione. *Giph. p. 213.* unde *Virgil. libr. 4. Georg. v. 218.* & II. *Aeneid. v. 643.* dixit:

————— Pulchramque petunt per vulnera mortem.

2. quia maximi eam comitantur honores unde *Plato lib. 5. de repub.* approbat legem Solonis de laudandis iis, quæ bello fortiter decubissent.

X. *Causam finalem* ostendit *HONESTAS & PUBLICA UTILITAS*, cujus gratia omnis fortitudo est instituenda, hic excluduntur, qui duello & monomachia congregiuntur, itemque omnes gladiatores & pugiles: unde viri fortis nomen aliquis tueri potest, etiamsi se non sistat ad ejusmodi duellum in quo sive vincatur, sive vincat nulla tamen exinde publicæ utilitati commoditas redit. *Keck. in syst. Eth. lib. 2. c. 4. p. 227.*

cap. 7.

XI. Cognitis causis cognoscenda sunt viri fortis officia; quorum I. ut in periculis sit inpavidus, non ut lapis vel truncus; sed ut homo discretionem habens rationis *Arist. libr. 1. M. M. c. 21.* nam si nullum sentiret dolorem, nulla illius esset laus, *Keck. d. l. p. 228.* II. ut adeat prudenter & firmo proposito ne reprehendatur à *Cic. in Tuscul. quest. lib. 2.* ut Barbari, Cimbri & Celtiberi: eo quod dolores & pericula sua ratione & sapientia ferrent: sed
impetu

impetu potius *Giph. p. 216. III.* ut Primario adest non lucri & quæstus causa, sed honestatis. *IV.* utetur etiam honestis & licitis mediis, prout in legitimo bello fieri decet. *V.* ut non militet contra ea, quæ scit esse vera. *Reckerm. d. l.*

XII. Sunt autem fortitudinis pugnantia duo; Vnum in excessu, quod imitantur *I.*, 1. qui se nonnunquam timent, tales fuerunt gladiator cæsaris, qui cum vulneræjus exsecati essent, risit; *refer. Agell. lib. 12. cap. 5.* & Celtæ, qui in mare adversus fluctus pugnarunt. *Aelian. lib. 12. var. histor. c. 23. 2.* qui nimium fidunt, ut audaces. Alterum in Defectu, quod ignavia dicitur, cum quia omnia metuat, ignavus, tum quia nihil confidat, *Giph. p. 218.*

XIII. Convenientiam habent hæc cum fortitudine in eo, quod circa eandem materiam versantur: diverso tamen modo: Nam audaces sunt præcipites ante pericula: sed cum adsunt, tergiversantur: Fortes vero e contra se habent, *Acciaj. p. 242.* & ex illo audacium genere est Aristogiton Atheniensis: qui cum multis diebus de sua animi promptitudine & bello, animose disputaret: postea vero cum bellum esset indicendum, crure obligato morbum simulavit, *Giph. p. 219.*

XIV. Hæc utut sint: facilius tamen ex audace quam ex timido nascitur fortis, siquidem ille non tam recedit à medio, cujus etiam propter fiduciam videtur esse quodammodo particeps, unde scriptores rerum audaciam in bello pro muro haberi dicunt, & quam audacissime iri in hostem volunt. *Iovian. Pentan. lib. 1. de Fortitud. cap. 18. p. 190*

XV. Hactenus de Fortitudine vera sequitur adulterina: ut n. cap. 8. est hominis imago, quæ revera homo non est: & tamen homo dicitur, ita est quædam Fortitudinis imitatio, quæ fortitudo non est: & tamen ita nominatur *Casus in Spec. moral. d. l. p. 196.* Sunt autem talis fortitudinis species quinque:

XVI. 1. est *Civilis*, cum cives pericula subeant, ob fugiendam infamiam, & consequendos honores *Acciaj. p. 245.* *II. Militaris* cum milites ipsi ob peritiam singularum rerum, quæ in bello contingunt adoriantur pericula: unde Socrates fortitudinem scientiam esse credidit. *Iacob. Stapul. p. 30.* *III. Iracunda*, quæ eorum est, quæ vel ira vel amore, vel simili cupiditate, sine consilio

filio

filio ad pericula subeunda stimulantur *Giph. p. 226. IV. Fiducia-*
ria, quæ illorum est, quorum animos spes victoriæ in periculis e-
rigere, & confidentiores reddere solet, ut majore fiducia pericu-
la adeant *Mag. p. 280. V. Ignara* & hæc illorum, qui ignoratio-
ne periculorum animosiores sunt, quam aliàs, si nossent, ut sunt
novitii milites & insani *Thom. lib. 3. Eth. lect. 17. p. 52. col. 1. B.*

XVII. Prima species assimilatur veræ Fortitudini in eo,
quod vera sit propter virtutem, hæc autem propter verecundi-
am, quæ virtus revera non est: sed quod similis virtuti affectio
laudabilis, 2. quod honestarum actionum causa sit *Eustrat. libr. 3.*
cap. 8. p. 119. col. 1. n. 20. Diversa autem est 1. in eo quod profi-
ciscatur ex quadam necessitate legum unde coacte fit, 2. quod
non simpliciter honestatis causa, sed potius consequendæ glo-
riæ, aut vitandæ pœnæ suspiciatur *Mag. p. 277.*

XVIII. Secunda convenit in eo, quod labores etiam gravissi-
mos suscipiat & pericula adeat persepè maxima, *Iovian. Pontan.*
lib. 1. de Fortitud. c. 30. p. 207. Sed degenerat 1. quod requiri videat-
ur ab experientia & arte, vera autem ab electione *Acciaj. p. 246* 2.
quod mortem magis quam dedecus metuat, 3. quod non honesta-
tem: sed spolia sibi proponat, 4. quod qui istam imitantur, se ex-
emplo Coronensium, milites strenuos declarent contra Phocen-
ses, Conducti autem ad primum cum hoste congressum in pedes
se conjiciant. *Donalz. in epit. Eth. lib. 3. c. 1. p. 168.* & tales milites
pugnaces potius quam fortes dicuntur *Iovian. Pontan. d. l.*

XIX. Tertia idcirco pro vera habetur quod fortes ira acio-
res fiant, unde iram eotem esse fortitudinis asserit *Cic. lib. 4. Tusc.*
quippe naturam veluti sopitam excitat, animum ad justam vindi-
ctam commovet, vires & arma pugnantis subministrat *Casus in*
spec. mor. d. l. p. 198. Discedit autem 1. quia proficiscitur tantum
ex affectibus qui etiam sunt in bestiis. 2. quia potius vindictæ
quam honestatis causa. 3. quia potest etiam esse in viris malis.
4. quia non ex præcæsi: sed tantum à passione aliqua, ira scilicet
vel odio excitatur *Thom. d. l. lect. 17. p. 51.*

XX. Quarta similis fidendo: dissimilis 1. quia non sola ho-
nestate: sed etiam fiducia victoriæ ad pugnam impellitur *Riccob.*
d. l.

d. l. p. 566. 2. quia spe sua frustrata flaccescit ac turpiter fugit *Donalz d. l. pag. 170.* 3. quia in prævisis tantum sibi que exploratis constat periculis, sed non in repentinis.

XXI. Quinta affinitatem habet cum quarta eo quod utraque species nihil incommodi se accepturas existiment, illa quidem spe quam ex victoriis concepit, hæc spe quoque quam habet, ex imperitiis, nullum putans subesse periculum *Giph. p. 233.* Dissentiunt autem in eo, quod hæc nullam plane viri fortis speciem & dignitatem præ se ferat, cum statim periculo intellecto fugiat, illa verò spe. & victoriis inflata in periculis aliquando persistat *Eustrat. p. 123. col. 2. n. 30.* Differt igitur à vera fortitudine: 1. quod sine consilio pericula adeat, 2. quod non constantiam præstet, 3. quod ignominiam honestati præferat.

XXII. Ex his tres veræ fortitudinis oriuntur proprietates: 1. *cap. 9.* Fortitudo magis versatur circa metum, quam fiduciam ut apparet ex *Thesib. 5. & 8.* 2. Finem semper habet jucundum, media autem molesta. 3. Viro forti magis est dolenda mors, quam alio quia maximis bonis se orbari sentit, quibus plurimis prodesse posset.

XXIII. Hæc de fortitudine, quam sequitur Temperantia, quæ *cap. 10.* humanæ vitæ custos est. *Plat. in Charmid.* (nihil enim mali in homine nascitur: si Temperantia quæ sapientiæ fundamentum est, adsit *Stobæus serm. 3*) cum non minus illa circa affectus versetur, & in ea animæ parte quæ rationis experta est, inveniatur, ut enim fortitudo urbem ab hostibus: ita hæc mentem à malis affectibus tuetur *Casus in Spec. mora c. 10. lib. 3. p. 212.*

XXIV. Definitor autem virtus mediocritatem servans in expetendis & fugiendis voluptatibus & doloribus.

XXV. Obiectum hæc definitio ostendit duplex: 1. Principale, quod denotatur per *VOLUPTATES*, non animi quia vulgo, qui harum sunt studiosi aut mediocriter, aut nimium, neque temperantes neque intemperantes dici soleant, *Giph. p. 37.* sed amatores alleujus rei, sic qui amat virtutem dicitur virtutis amans, qui sapientiam Philosophus, qui honores ambitiosus *Mag. pag. 290.* Sed corporis, quæ veniunt ex gustu & tactu, & ideo, ut ho-

K

mo à

mo à bestiis in quibus etiam tales sunt voluptates discernatur, bestia enim circa eas modum servare non possunt: interim tamen magis circa tactum quam gustum, quia ille per totum corpus est diffusus hic tantum est in lingua & palato versatur *t. Plinio lib. 11. naturalis hist. 6. 37.*

XXVI. Et hæc dicimus, non quod alii sensus etiam suis obiectis non delectentur: sed quod per se in illis solum, in his verò per accidens Temperantia locum habeat *Casus d. l. p. 214.* non enim intemperans dicitur aliquis propter vilam: sed propter prævum appetitum.

cap. 11 XXVII. Cum autem voluptates excitent cupiditates tam in hominibus quam in brutis, necesse est ut cupiditates distinguamus: sunt verò I. aliæ *Naturales* quæ continent sub se desideria cibi pottionis & Veneris, eò quod naturâ duce expetantur & quidem ab omnibus: unde etiam communes vocantur *Giph. d. l. p. 240.* Circa has uno tantum modo peccatur, nempe cū supra modum repleri cupiunt nonnulli, non lautis quidem atque oppiparis dapibus: sed interdum vilissimis quoque, unde etiam ventrifurentes vocantur, eò quod furiosè ventri replendo vacent *Emstrat. d. l. p. 127. col. 2. n. 20.*

XXVIII. II. aliæ *Adventitiae* quæ videntur esse & fieri nostra sponte & aliæ atque aliæ secundum varias condiciones hominum, & etiam corporis complexionones *Acciaj p. 264.* & hæc cupiditates non pertinent ad naturam generis & speciei sed individui *Thomas d. l. lect. 20. p. 55. col. 1. B.* sic Melancholici terè amara expetunt, sanguinei suaviora, Septentrionales multa carne & potu, Meridionales herbis potius delectantur *Giph. p. 241.*

XXIX. Peccatur autem circa has variis modis: I. Qualitate, si nimirum expetamus ea, quæ magis nocent quam profunt. 2. Quantitate, quando plura assumuntur, quam natura postulat. 3. Delectu, cum sine discrimine tam salubria quam insalubria cupiamus. 4. Modo, non cum ea ratione qua oportet. 5. Tempore, qua in re peccant ij, qui non diætam in edendo & bibendo servant, *Jacob. Stapul. d. l. p. 33. Mag. p. 297.*

Minus

XXX. II. Minus principale sunt DOLORES ex nimio desiderio voluptatum, vel illarum privatione originem fumentes, non secus atque amicus amico, cum ipse desideratus aliquo in loco procul absit. *Aristot. lib. 2. pol. c. 3.*

XXXI. - Ut igitur Temperans medium observet, sunt tria notanda: 1. ut moderate absentes expetat, presentibus moderate utatur, 2. ut honestas solum & licitas appetat voluptates, 3. ut illis sic utatur ac fruatur, ne quid propter eas committat, quod possit vel famam vel valetudinem, vel etiam rem familiarem lædere. *Arist. lib. 1. Rhet. ad Theod. c. 9. Keck. in syst. Eth. lib. 2. c. 1. p. 190.*

XXXII. Hæc I. qui bene observabit, duo consequetur effecta, quorum 1. est respectu Corporis, sanitas & pulchritudo. 2. respectu animi 1. conservabit & confirmabit ingenium, iudicium & memoriam 2. reddet hominem alacrem & expeditum ad omnes alias virtutes morales, tum acquirendas tum exercendas, *Keckerm. d. l. p. 191.* unde Temperantia etiam norma & mater omnium virtutum vocatur, si enim virtus est medius habitus inter extrema nulla poterit esse sine Temperantia *Scalig. Poet. lib. 3. cap. 1. pag. 205.*

XXXIII. II. Qui male ad duo inclinabit vitia aut I. ad illud quod est in excessu & nominatur ἀκολασία Intemperantia: unde qui hæc laborat, sine discrimine quasvis voluptates, etiam turpes & illicitas, expetit, & tanquam mancipium quoddam ad quævis facinora ducitur. *Mag. pag. 298.* aut II. ad illud quod in defectu est, quod licet propter nominum penuriam non certo nomine indigitatur, vocatur tamen ab Aristotele ἀναίσθησία sensuum destitutio, qui enim nulla voluptate afficitur, videtur esse stupidus & sensu destitutus.

XXXIV. Ex his constat vitium in excessu deterius esse illi quod est in defectu 1. quia à Temperantia magis recedit, assimilatur enim insensibilis temperanti in abstinence voluptatum, gustus & tactus, intemperans autem ipsi dissimilis est in eo, quod voluptatibus sine refractione laxat habenas, animoque indulget *Iodocus Chlichtoveius in ep. Eth. cap. 3. p. 14.* 2. quia est magis voluntarium, versatur enim circa voluptates, quod est in defectu circa dolores *Eustrat. d. l. p. 129. col. 2. n. 40.*

XXXV. Ad temperantiam in genere quod attinet, explicavimus, sequuntur species, quas diversi diversas recensent, alii quinque ut *Cassus in spec. moral. lib. 3. c. 10. p. 215.* alii tres clementiam scilicet continentiam & modestiam ut *Ci. lib. 2. de invento. August. tom. 4. in libr. de divers. questionib. q. 31. p. 383. B.* nos autem duas nempe frugalitatem & castitatem cum *Keckerm. libr. 2. syst. Eth. c. 1. p. 191. & Denaiz. d. l. p. 178.* sed frugalitas iterum habet species Abstemiam & Sobrietatem.

XXXVI. Abstemia est frugalitas in moderato cibi usu, quam bene observarunt Romani sumptuarias leges ferentes, quæ modum vivendi imponerent, ut ref. *Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11.* & ne fraus legibus fieret cautum erat, ut publice pransitaretur, idem testatur *Plut. in vit. Lycurgi & Xenoph. lib. de repub. Laced.*

XXXVII. Contrariatur autem huic virtuti 1. Voracitas de qua *Juvenal. Sat. 1. vers. 144.* inquit:

Hinc subitæ mortes atq. intestata senectus.

It nova, nec tristis per cunctas fabula cœnas.

Ducitur iratis plaudendum funus amicis.

2. Nimia abstinentia à cibo: sed hoc vitium raro invenitur.

XXXVIII. Sobrietas est frugalitas in moderato potus usu, quam ut liberis assuecerent Lacedæmonii, rusticos, servos multo mero ebrios in juvenum convivia introduxerunt, ut adolescentes, cernentes temulentorum insaniam, sobrie vivere, sibi que ab ejusmodi vitio temperare discerent *M. Thom. Sagitt. in disp. de civ. convers. pag. 105. §. 27.*

XXXIX. Huic opponitur 1. vitium in defectu, quod est nimia aversatio potus requisiti. 2. In Excessu Ebrietas quam Cato vocat speciem furoris voluntariam 2. *Marcel. libr. 15.* sæpe enim accidit ut ebrii furiosis pejores seipos interemerint *Denaiz. d. l. p. 8.*

XL. Sequitur castitas quæ est Temperantia in Venere moderanda & hanc ut observarent Cybales sacerdotes membrum genitale sibi quodam lapide abscindebant *Camerar. cent. 1. hor. suc. c. 10. p. 38.* & Athenis alii ut membrum illud amitterent cicutant biberunt *Natal. comes in mish. c. 10. lib. 1. p. 29.*

Diversa

XLI. Diversa sunt 1. In Excessu Libido à qua cavendum, cum vitam evertat. ac injuria omnium rerum maxime calamitosa sit, teste *Athenæo libr. 12. cap. 19.* 2. In defectu est affectata omnis Veneris detestatio, & in hoc vitium peccant omnes olores mulierum qualis fuit Diogones, qui optavit ut omnes mulieres de arboribus suspenderentur. Tantum & hæc de Temperantia, de illis quæ restant quæremus.

Quæstio I.

An timor semper sit vitium?

De hac quæstione multæ existere possent dubitationes, sunt enim variæ timoris species, quæ duplici afferuntur modo, vel I. quatenus sunt *PASSIONES ANIMAE*, quarum sex recensentur à *Damasceno* & in eum *Reverendus & Clariss. noster Superattendens Dn. D. Christoph. Pelarg. lib. 2. c. 15* Prima species est *Segnities*, quæ est in timentibus laboribus 2. *Erubescencia*, quæ convitium timet ob turpe opus jam gestum. *Hieronymus Aurimont. in ep. Esh. p. 303.* 3. *Verecundia*. Timor est propter malum opus futurum quod quis designare statuit. 4. *Admiratio*, quæ per alicujus magni mali, cuius nequeat aliquis reperire exitum. 5. *Stupor* timor alicujus mali quod propter novitatem & experientiam ingens videatur. 6. *Agonia* timor mali, cui ipse quidem timens nullo modo possit occurrere. Ad has species intelligendas sciendum, illas vitia partim esse, si nimirum timent bona, sub ratione mali: partim non esse, si mala metuant, ut bonum consequantur. Vel II. quatenus ad Deum habeant vel *Conversionem* & tales sunt I. *TIMOR SERVILIS* qui secundum suam substantiam bonus est, 1. eo quod timeat pœnam tanquam principale malum, 2. quod se convertat ad Deum tanquam principalissimum bonum, secundum servilitatem autem malus, cum non sui causa operetur, sed quasi ab extrinseco moveatur. *Thomas secunda secunda q. 19. art. 4.* II. *FILIALIS* de quo dicitur *Psal. 34. v. 10.* *timete Iehovam sancti ejus*, quoniam non inopia est timentibus eum, differt hic à servili, objecto. Filialis enim respicit Deum tanquam terminum, à quo refugit separari per culpam, servilis

quatenus sit principium inflictivum poenarum *Thom. d. l. art. 5. 11.*
 vel *Aversionem* ut timor MUNDANUS qui semper malus est, timet
 n. amittere quod amat & venit à mundano amore tanquam à ma-
 la radice *Id. d. l. art. 3.* Deinde distinguendum quoq; inter timorem
 I. THEOLOGICUM, qui Partim non est vitium, nimirum si 1. sumat-
 tur pro *obedientia* superioribus debita ut *1. Pet. 2. v. 18.* Servi subdi-
 ti estote in omni timere Dominis, non tantum bonis & modestis:
 sed etiam dyscolis 2. pro Deo quod *Gen. 31. v. 42.* idiotismo He-
 breæor. *יָרֵא* qui timor significat, indicatur & *Psal. 76. v. 12.* per
נִרְמַר id est, timori 3. pro timore *Naturali* qualis est Christi
Matth. 26. v. 38. tristis est anima mea usq; ad mortem, sustinete
 hic & vigilate mecum. 4. pro *principio sapientie* *Psal. 111. v. 10.*
 quia timor comparatur ad totam vitam humanam per sapientiam
 Dei regulatam, sicut radix ad arborem: unde dicitur *Eccles. 1. v.*
25. Radix sapientie est timere Dominum, rami enim illius longæ-
 vi & ideo ut radix virtute dicitur esse tota arbor: ita timor Dei
 dicitur esse sapientia *Thom. d. l. art. 7.* Partim est vitium cum idem
 significat quod diffidentia ut *2. ad Tim. 1. v. 7.* non n. dedit nobis
 Deus spiritum timoris: sed virtutis & dilectionis & sobrietatis.
 II MORALEM & hic opponitur Fortitudini partim nihil ti-
 mendo, partim omnia timendo, sive bonum sive malum afferant,
 ut *supra* 8. 12. declaratur, & talis timor est vitium. Dubium a. hic
 oritur nempe timores esse passiones, ex quibus nec laudamur neq;
 vituperamur t. *Arist. lib. 2. Eth. c. 5. & sup. disp. 3. 8. 16. & seq.* Sed di-
 cendum timorem commomuniter dictum secundum suam ra-
 tionem importare universaliter fugam, & sic neq; laudamur neq;
 vituperamur, in specie v. dicto timor, aut est *Ordinatus* quando ap-
 petitus timendo refugit id, quod est secundum rationem fugien-
 dum & sic laudatur: aut *inordinatus* quando appetitus fugit ea,
 quæ ratio dicitur esse sustinenda, ne desistat ab aliis, quæ magis pro-
 sequi debet, & hic vituperatur habens rationem vitii *Thom. secun-*
da secunda quest. 125. art. 1.

Questio II.

Fortitudo an alicui possit esse exitio?
 Ne filii ambiguitatis quæ erroris mater est test. *Scal;* passim
 fiamus

fiamus, Fortitudinem asserimus aliam 1. esse Naturalem quæ nihil aliud quam robur corporis, si artubus validis firmioribus musculis & membris prævaleamus *D. natz. in ep. Eib lib 3. ca. pag. 161.* Hanc habuerunt Cacus de quo *Ovid. lib 3. Fastor. dist. 279.*
Dura viro facies, vires pro corpore corpus

Grande, pater monstri Mulciber hujus erat.

& Athanatus prodigiösæ ostentationis, quingenario thorace plumbæo indutus, cothurnisq; quingentorū pondo calceatus de hoc & aliis *Plin. lib. 7. naturalis hist. c. 20 28. mibi p. 95. & 97.* & tali Fortitudine si abutamur exitio est, quemadmodum Miloni Crotoniensis t. *Agell. l. 15. c. 15.* si non commoditatem adferat: unde Bion dixit, Fortitudine dum juvenes sumus, utimur, & senescentes prudentia valemus, Aliam II. Civilem quæ sumitur vel generaliter pro contemptu quorumcunq; periculorum, ita ut audaciæ quoq; cōpetat: hanc observarunt Pylly, quos ut refert *Herodotus libr. 4.* contra Austrum ut ventum illis nimis infestum, armata manu profectos: sed arenā obrutos, stultitiæ mercedem reportasse, & talis fortitudo aliquando noxia, subtrahit enim moram & tempus legitimum, quo vir fortis, discernere & cognoscere debet, quantitatem periculi, simulq; oportunitatem circumstantiarum attendere *Keck. in disp. pract. pag. 115. q 15.* vel Specialem pro ipsa virtute, quatenus mediocritatis circulo contenta est, ut supra thesibus præscribitur, & sic non noxia.

Quæstio III.

An salus consistat in poculis?

Affirmantem sententiam illi tuentur 1. qui summum bonum in poculis esse situm statuunt, qualis fuit Rex Mitridates, is enim ijs qui avidius vorarent & biberent, præmia proposuit, cum ipse in utroq; genere victoriam foedissimam consecutus sit *Camer. in hor. succ. cent. 1. c. 44. pag. 439.* 2. qui pro alterius salute esse bibendum asserunt, ut Græci qui toties biberunt, quoties Deos & charos nominatim vocarunt t. *Cælio Rhodig. Lett. antiq. libr. 28. c. 6. p. 1067. B.* unde lex illis erat in conviviis t. *Cic. in 5. Tuscul. ut aut bibat aliquis aut abeat,* 3. Papyri, Bizantij, Argivi, Corinthij, Thraces, qui hospites suos ingentibus poculis excipere, & ad vomitus

mitus

mitus usq; bibere consueverunt t. *Aelian. lib. 3. de var. hist. c. 13. 14. & 15. IV.* deniq; assentit vulgus apud nostras gentes: hinc Imperator Turcicus inter causas alias, ob quas germanorum arma non extirpesceret, illam etiam posuit, quod Germani sint belluones & potatores ex *Avent. de reb. Turc. refert. Camer cent. 1 c. 5. p. 54.* Nos autem contrarium statuentes, dicimus salutem non consistere in poculis l. quia salutem veram possidentes sunt pro beatissimis habendi: illa autem quæ in poculis est, mala dicitur, cum sæpe nos in extremam perniciem ducat, corrumpat, omne robur animi, indolemque virtutis, ingenium labefaciat, & consilium eripiat, quia teste *Mantuanis*:

Decipiat quenquam blanda sub imagine semper
Ingreditur, nardi succos, unguenta, sapes
Mellifluos præfert, sed sunt sub melle venena.

II. Neque illi potest efferre commodum, in cuius salutem pocula ebibimus, cum nos ipsos qui bibimus nulla salute beat, vinum enim sorbendo, ipsi absorbemur. t. *August. in lib. de penit. Consentit quoque nobiscum hujus seculi Poeta celeberrimus Melissus* dicens:

Nil prodest illi potus, quem nominat absens,
Absentem & pro quo plurima vina fluunt,
Nulla salus haustu, non tangunt talia mentes,
Nec virtus aut vis nobilitatis inest.

Quod bene sit, bene habet, nec vero semper (opinor)
Quod multi faciunt, more jubente bonum est.

III. quia media ad vitia ducentia sunt fugienda, cum nimia potio ex talibus unum est, merito ab istis salus removetur, est enim ista potius in sobrietate quam in ebrietate quia test. *Aug. ad sacras virg.* est flagitiorum omnium culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbulatio capitis, submersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, dedecus vitæ, infamia honestatis & animæ corruptela.



Coll. diss. A. 28, misc. 47